Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

nunc videtur aptam. Certe non puto primam illam omnium rerum materiam taliter informem fuisse, sicut nullam omnino formam haberet, quia nec aliquid tale existere posse omnino quod aliquid esse habeat et non aliquam formam crediderim. Ita tamen non absurde informem eam appellari posse, quod in confusione et permixtione quadam subsistens nondum hanc in qua nunc cernitur pulchram aptamque dispositionem et formam receperat. Ergo ante formam facta est materia, tamen in forma. In forma confusionis, ante formam dispositionis. In forma prima confusionis primum materialiter omnia corporalia simul et semel creata sunt. In secunda forma dispositionis per modum per sex dierum intervalla ordinata.

Simul creata fuisse omnia visibilia et invisibilia.

Sed nec illud quantum opinor absurdum erit si credimus unum et idem prorsus momentum temporis fuisse quo in principio simul creata sunt et rerum visibilium corporaliumque materia et invisibilium angelica natura essentia. Et hoc esse quod scriptura refert omnia simul creata fuisse, sicut superius diximus: Qui vivit in aeternum creavit omnia simul, quia eodem momento simul et visibilium materia essentialiter creata est et invisibilium natura, nihilque postea factum cuius in ipso primordio aut materia ut in corporibus aut similitudo ut in spiritibus non praecesserit. Nam et si novae adhuc cotidie creantur animae, nova tamen creatura non fit, quia in angelicis spiritibus iam tunc quando creabantur earum similitudo praecessit. Duo autem nobis nunc discutienda occurrunt: primum illa primae editionis forma informis qualis fuerit; secundum qualiter ex illa informitate ad hanc quam nunc habet formam producta sit.

De prima informitate omnium rerum qualis fuit et quamdiu mundus in illa permansit.

Quantum conicere potui ex his quae in scripturis de hac re manifeste sive obscure repperi secundum rei gestae veritatem expressa, primum illa omnium rerum moles quando creata est ibidem tunc ad esse prodiit ubi nunc formata subsistunt. Terraque in [illegible] medio eodemque uno loco subsidens, ceteris in una confusione permixtis, forma meliore praeditis, iisdem ceterisque in modum cuiusdam nebulae obpansis ita involuta, ut apparere non posset quod fuit. Illa vero quae in una sic dictum est adhuc confusione permixta, sive potius in una permixtione confusa circumquaque suspensa eousque in altum porrigebantur quousque nunc summum corporeae creaturae pertingit, totumque hoc spacium quod a superficie terrae medio iacentis loco usque ad extremum supremumque ambitum caeli limitem patet illa nebula et caligine replebatur. Et quae nunc sunt alvei sive aquarum tractiones iam tunc in ipso nascentis mundi exordio in terrae corpore fixa aquis receptacula parata erant, in quibus et magna illa abyssus de qua omnia fluenta aquarum producenda sive derivanda fuerant, patulo adhuc hiatu vacuoque horrendum in praeceps inane praeferebat. Cui quasi desuper tenebrosae illius caliginis quae tunc tota terrae superficies obvoluta erat nebula tenebatur, quas ut ego arbitror tenebras scriptura cum caelum et terra crearentur super faciem abyssi testatur fuisse. Talis mundi facies in principio priusquam formam susciperet aut dispositionem per scripturam significatur cum dicitur: In principio creavit Deus caelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, sive ut alia translatio habet incomposita, et tenebrae erant super faciem abyssi. Per caelum namque et terram materiam illam omnium caelestium terrestriumque hoc loco significari puto.